


FABRICA TORQVE TI

Ibidem faciendo, quę tibi complementum & finem 10 gradus huius Scale, ostendet, Deinde seruata eadem circini extensioне, pone pedem eius unum ad signaturam tertiam, 20 scilicet quadrantis, reliquum uero, ut iam dictum est, applica lineę A B, faciens rursus, ut ante, notam, quę & ipsa tibi finem 20 gradus ostendit. Eodem modo, eademq; extensioне circini age reliquos notando gradus, dum ex integro compleas hanc lineę A B Scalam. Notandum tamen quod de decimis hic exemplificatu est, quod etiam pro singulis gradibus id fieri oportebit. Postremo applicabis hanc Scalā, mediante circino lineaे Meridianae, inferioris nempe quadrangularis tabulae, huc ubi numerus in parte eius Septentrionali ab A puncto incipitur, Meridionali uersus eius tabulae partem pergendo, ubi 90 posita conspiciuntur. Fac insuper ut finis, cuiuslibet, in hac Scala, gradus, foramen recipiat, cui postea acumen stili elevationis Aequinoctialis immittere possis. Qui quidem stilus quadrantis huius latus A C, longitudinem non excedit. Hunc deinceps tabulae quadrangulari superiori, scilicet parte eius inferiori rectissime applicabis, ita tamen, ut illum una cum acuminne eius, ad omnes & singulos prescriptos gradus, quoties placuerit, mouere possis. Cuius rei argumentum, hac tibi in figura, subiçere placuit.



Dogma